



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Sessio XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

& consilium ipsum in statu, in quo reperitur,  
 prosequendo, cum in præteritis Sessionibus de  
 septem Sacramentis nouæ legis in genere, & in  
 specie de Baptismate, & Confirmatione defini-  
 tum fuerit, statuit, & decernit de Sanctissime  
 Eucharistiæ Sacramento, nec non, quæ ad re-  
 formationem attinet, de reliquis, quæ ad faci-  
 liorem & commodiorem Prælatorum residen-  
 tiam pertinet, agi & tractari debere; ac monet  
 & hortatur omnes Patres, vt interim, Domini  
 nostri, Iesu Christi, exemplo, quantum tamen  
 humana fragilitas patietur, ieiunijs, et oratio-  
 nibus vacent, vt tandè placatus, qui in secula  
 sit benedictus, Deus corda hominum ad veram  
 suæ fidei agnitionem, & sanctæ matris Ecclesiæ  
 vnitatem, ac rectè viuendi normam reducere  
 dignetur.

### SESSIO XIII.

QUÆ EST TERTIA,  
 SVB IVLIO III. PONT. MAX.  
 CELEBRATA DIE IX.  
 OCT. M. D. LI.

Decretum de sanctissimo Eucharistiæ  
 Sacramento.

Sacrosancta œcumenica, & generalis Tri-  
 dentina Synodus, in Spiritu sancto legiti-  
 mè congregata, præsentibus in ea eisdem

Sanctæ

sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nuncijs,  
 & si in eum finem non absq; peculiari Spiritus  
 sancti ductu, & gubernatione conuenerit, vt  
 veram, & antiquam de fide & Sacramentis  
 doctrinã exponeret, & vt heresibus omnibus,  
 & alijs grauissimis incommodis, quibus Dei  
 Ecclesia miserè nunc exagitur, & in multas  
 & varias partes scinditur, remediũ afferret,  
 hoc præsertim iã inde à principio in votis ha-  
 buit, vt stirpitis cõuelleret zizania execrabi-  
 lium errorum & schismatũ, quæ inimicus ho-  
 mo his nostris calamitosis tẽporibus in doctri-  
 na fidei, vsu & cultu sacrosanctæ Eucharistiæ  
 superseminauit; quã alioqui Seruator noster  
 in Ecclesia sua tanquam symbolum reliquit e-  
 ius vnitatis, & caritatis, qua Christianos oēs  
 inter se coniunctos, & copulatos esse voluit. I-  
 taq; eadem sacrosancta Synodus sanam & sin-  
 ceram illam de venerabili hoc & diuino Eu-  
 charistiæ Sacramento doctrinam tradens, quã  
 semper Catholica Ecclesia ab ipso Iesu Christo,  
 Dom. nostro, & eius Apostolis erudita, atq; à  
 Spiritu sancto, illi b̄ omnem veritatem indies  
 suggerente, edocta, retinuit, & ad finem vsque  
 sæculi conseruabit; omnibus Christi fidelibus  
 interdicit, ne post hac de sanctissima Eucharis-  
 tia aliter credere, docere aut prædicare au-  
 deant, quàm vt est hoc præsentis decreto expli-  
 catum, atque definitum.

a Mat. 13.

b Luc. 12.  
 c. 1. vers.  
 ego pro  
 te 1. dist.  
 & infra  
 Sess. 22.  
 cap. .8.  
 sup. Sess. 1.  
 Ioan. 16.

De reali præsentia Domini nostri Iesu  
Christi in sanctissimo Euchari-  
stia Sacramento.

## CAPVT I.

a Ioan. 1.

b c. 1. de  
sum. Tri-  
nit.sup. Sef. 3.  
in symb.  
Ephes. 1.

Marc. 16.

c Mat. 19.

Luc. 18.

d Mat. 26

Marc. 14.

Luc. 22.

e 1. Cor. 11

**P**incipio docet sancta Synodus, & aperte,  
ac simpliciter proficitur, in almo sancto  
Eucharistia Sacramento, post panis & vini  
consecratione, Dominum nostrum Iesum Chri-  
stum, a verum Deum atq; hominẽ, verẽ, rea-  
liter, ac substantialiter sub specie illarum re-  
rum sensibiliũ contineri: nec enim hæc inter se pug-  
nant, b vt ipse Saluator noster semper ad dex-  
teram Patris semper in cœlis asideat, iuxta  
modũ existendi naturalẽ; & vt multis nihilominus  
alijs in locis sacramentaliter præsens sua  
substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quã  
et si verbis exprimere vix possumus, c possibilia  
tamẽ esse Deo, cogitatione per fidem illustrata,  
assequi possumus, & constantissimẽ credere  
debemus: ita enim maiores nostri oēs, quot  
quot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de  
sanctissimo hoc Sacramento differuerunt, apertissime  
professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum  
in vltima cœna Redemptorẽ nostrum  
instituisse; cum post panis viniq; benedictionem,  
se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum  
sanguinẽ, disertis ac perspicuis verbis testatum  
est, d quæ verba à sanctis Euangelistis commemorata,  
e & à Diuo Paulo postea repetita.

pro

propriam illā, & apertissimam significationem  
 prefeferant, secundū quam à Patribus intel-  
 lecta sunt, indignissimū sanè flagitium est, ea  
 à quibusdam contentiosis, & prauis hominib.  
 ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus ve-  
 ritas carnis & sanguinis Christi negatur, cōtra  
 vniuersum Ecclesie sensum detorqueri: que  
 tanquam a columna & firmamentū veritatis, a I. Ti. 3.  
 hec ab impijs hominib. excogitata commenta,  
 velut Satânica, detestata est, grato semper &  
 memorē animo prestantissimum hoc Christi  
 beneficium agnoscens.

De ratione institutionis sanctissimi  
 huius Sacramenti.

CAPVT II.

**E**Rgo Saluator noster, discessurus ex hoc  
 mundo ad Patrem, Sacramentum hoc in-  
 stituit, in quo diuitias diuini sui erga homi-  
 nes amoris velut effudit, b memoriam fa-  
 ciēs mirabilium suorum; & in illius sumptio-  
 ne colere nos sui memoriam præcepit, suamq;  
 annunciare mortē, donec ipse ad iudicādū mū-  
 dum veniat. Sumi aut voluit Sacramētū hoc,  
 tanquā spiritualem animarum cibum, quo a-  
 lantur, & confortētur viuentes vita illius, qui  
 dixit: Qui māducat me, & ipse viuet propter  
 me: & tanquam antidotum, quo liberemur à  
 culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus  
 præseruemur. Pignus præterea idesse voluit

b Psa. 110.

c I. Co. 11.

Luc. 22.

1. Cor. 11.

c. iteratur

de conf.

dist. 2.

c Ioan. 6.

d Ioan. 6.

a I. Co. II. futura nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis,  
 Ephes. 5. adeoq; symbolum vnius illius corporis, a cuius  
 Rom. 12. ipse caput existit, cuique nos tanquam mēbra  
 I. Cor. 5. arctissima, fidei, spei, & caritatis cōnexionē, a-  
 strictos esse voluit, vt id ipsum omnes dicere-  
 mus, b Nec essent in nobis schismata.

De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ  
 super reliqua Sacramenta.

## CAPVT III.

c c. sacri-  
 ficium de  
 cōf. dist. 2.

d c. mul.  
 l. q. 1.

e Mat. 26.  
 Marc. 14.

f infra  
 can. 1.

Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem, verum illud in ea excellēs, & singulare reperitur, d quod reliqua Sacramenta tunc primū sanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur, at in Eucharistia ipse sãctitatis auctōr ante vssum est: nondū enim Eucharistiā e de manu Domini Apostoli suscepērunt, cū verè tamen ipse affirmaret corpus suū esse, quod præbebat, & semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post cōsecrationem f verum Domini nostri corpus, verumq; eius sanguinem sub panis & vini specie vnā cū ipsius anima & diuinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinis sub specie panis, animamq; sub vtraq; vt naturalis illius cōnexionis, & concomitantiæ, q̄ partes Christi Domini

mini

mini, & qui tam ex mortuis resurrexit, nō amplius moriturus, inter se copulatur: Diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cū corpore, & animo hypostaticam vnionē. Quapropter verissimum est, b tātumdē sub alterutra specie, atque sub vtraq; contineri: totus enim, & integer Christus, sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.

## De Transubstantiatione

## CAPVT IV.

Quoniam autem Christus redēptor noster corpus suum id, c quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasam semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conuersionem fieri totius substantiæ d panis in substantiam corporis Christi, Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius, quæ conuersio conuenienter, & propriè à sancta Catholica ecclesia transubstantiatio est appellata.

De cultu, & veneratione, huic sanctissimo Sacramento exhibenda.

## CAPVT V.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, c quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto patriæ

E 3

cultum

a Rom. 5.  
c. semel  
Christus.  
c. iteratur  
c. singuli.  
& c. qui  
manducant.  
de cōf. dist. 2.  
infr. cā. 3.  
b Sess. 1.  
c. 3. vide  
hom. de  
pascha.  
inter eas  
quæ Euse.  
Emiffeno  
ascribū-  
tur, & de  
conf. dist.  
1. vbi par.  
est, & c.  
c Luc. 22.  
Ioan. 6.  
2. Cor. 11.  
d c panis  
de conf.  
dist. 2. c.  
cū Matr.  
de celeb.  
can. 2. in  
2. Latera.  
Concil.  
e infra  
can. 6.

cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. neque enim ideò minus est adorandū quod fuerit à Christo Domino, vt sumatur, institutū. nā illum eundem Deum presentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit, a Ex adorēt eū omnes Angeli Dei, quem Magi proidentes adorauerunt: b quem deniq; in Galilea ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur. Declarat præterea sancta Synodus, piè et religiosè admodū in Dei Ecclesiam, c inductum fuisse hunc morem, vt singulis anni peculiari quodā, & festo die præcelsum hoc, & venerabile Sacramentū singulari veneratione, ac solēnitate celebraretur, & vt q̄s in processionibus reuerenter & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur, æquissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cū Christiani omnes singulari, ac variâ quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominū, & Redemptorem, pro tam ineffabili, & pluri diuino beneficio, quo mortis eius victoria, & triumphus representatur, atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendaciorum heresi triumphum agere; vt eius aduersarij in conspectu tanti splendoris, & in tanta vniuersæ Ecclesie letitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant.

a Psal. 69.

Heb. 1.

Mat. 2.

Mat. 28.

b Luc. 24.

c Urban.

Papa, ci-

tatus Cle-

mentina-

rum li. 3.

de reliq.

&amp; vener.

sanct.

d infra

can. 6.

e 1. Co. 15.

Hebr. 2.



De asseruando sacrae Eucharistiae Sacramento, & ad infirmos deferendo.

CAPVT VI.

Consuetudo a asseruandi in sacrario sanctā Eucharistiam, adeo antiqua est, vt eā seculum etiam b Niceni Concilij agnouerit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos: & hunc vsū diligenter in Ecclesijs conseruari, pr.eterquā quod cum summa equitate & ratione coniunctum est, tam multis in c Concilijs præceptum inuenitur, & vetustissimo Catholice & Ecclesie more est obseruatū. Quare sancta hæc Synodus retinendum omninò salutarem hunc, & necessarium morem statuit.

De præparatione quæ adhibenda est, vt dignè quis sacram Eucharistiam percipiat.

CAPVT VII.

SI non decet ad sacras vllas functiones quæpiam accedere, nisi sanctè; certè quo magis sanctitas, & diuinitas cœlestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cauere illi debet, ne absq; magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendū accedat, præsertim cū illa plena formi diuinis verba apud a Apost. legam⁹: Qui māducat & bibit indignè

c. fanè de celebrat. miss. c. de custo. Euchar. Presbyt. de conf. dist. 2. b 1. Nicani forte c. 14. c. Concil. Rhemen. cap. 2. Conc. Lateran. sub Innoc. 2. cap. 26. c. præsent. 93. dist. d Ancy-rani c. 6. 1. Nicæn. c. 12. Carthag. 4. c. 77. 78. Agathen. c. 15. & c. a 1. Co. II. c. quid ergo c. sancta. c. sicut Iudas & c. timorem de conf. dist. 2.

à 1. Cor. 1.  
 c. qui ce  
 leratè. de  
 conf. dist.  
 c. 2. quo  
 tidie & c  
 panem.  
 de conf.  
 dist. 2. c.  
 omnis  
 qui. cum  
 seq. de  
 pœ. dist. 1.  
 b & infra  
 can. 11.  
 c infra  
 canon 11.  
 d. c. quid  
 est. cum  
 seq. e. du  
 pliciter  
 & c in il  
 lo de cõf.  
 dist. 2.  
 Aug con.  
 Donat.  
 sapè.  
 prosper  
 in lib.  
 sent.  
 e Gal. 5.  
 f inf. can.  
 7.  
 Matt. 22.

iudicium sibi manducat & bibit, non dijudi-  
 cans corpus Domini. Quare communicare vo-  
 lenti reuocandum est in memoriam eius præ-  
 ceptum: a Probet autem seipsum homo. Eccle-  
 siastica autem consuetudo declarat, eam pro-  
 bationem necessariam esse, vt nullus sibi con-  
 scius mortalis peccati, quantumuis sibi b con-  
 tritus videatur, absq; præmissa Sacramentali  
 Confessione ad sacram Eucharistiam acce-  
 dere debeat, quod à Christianis omnibus, etiã  
 ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incubue-  
 rit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo ser-  
 uandum esse decreuit, modò non desit c illis  
 copia confessoris: quod si, necessitate urgente,  
 sacerdos absq; præuia Confessione celebraue-  
 rit, quàm primum confiteatur.

De usu admirabilis huius Sa-  
cramenti.

### CAPVT VIII.

Quid ad usum autem, d rectè & sapienter  
 Patres nostri tres rationes hoc sanctũ Sa-  
 cramentum accipiendi distinxerunt, quosdam  
 enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id  
 sumere, vt peccatores: alios tãtum specialiter,  
 illos nimirũ, qui voto propositum illum cœle-  
 stem panem edentes, fide viuã, e quæ per dile-  
 ctionem operatur, fructum eius, & utilitatẽ  
 sentiunt: tertios porrò sacramentaliter simul &  
 spiritualiter, hi autem sunt, qui ita prius pro-  
 bant, & instruunt, f vt vestem nuptialem in-  
 duti

duri ad diuinam hanc mensam accedāt. In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à sacerdotibus communionem acciperēt, a sacerdotibus autem celebrātes seipsos communicarent; qui mos, b tāquam ex traditione Apostolica descendens, iure, ac merito retineri debēt. Demum autem paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, vt omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc vnitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conueniant, & concordent, memoresque tantae maiestatis, & tam eximij amoris Iesu Christi, Domini nostri, c qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, & carnem suam nobis dedit ad manducandum, haec sacra mysteria corporis & sanguinis eius fidei constantia, & firmitate, ea animi deuotione, ac pietate, & cultu credant, & venerētur, vt panem illum substantialem frequenter suscipere possint; & is verè eis sit animae vita, & perpetua sanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miserae peregrinationis itinere ad caelestem patriam peruenire valeant, eundem d panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absq; vlllo velamine manducaturi.

Quoniam autem non est satis veritatē di-

E 5

cere,

a e relatū  
de conf.  
dist. 2. in-  
frā cā. 10.  
b Heb. 5.

c Ioan. 6.  
c. prima,  
de conf.  
dist. 2.

d Psal. 77.  
c. reuera,  
& c. om-  
nis de  
conf. dist.  
2.

cere, nisi detegantur, & refellantur errores; placuit sanctæ Synodo, hos canones subiungere, ut omnes, iam agnita Catholica doctrina, intelligant quoque, quæ ab illis hereses cauere vitarique debeant.

DE SACROSANCTO Eucharistiæ Sacramento.

CANON I.

a Supra  
cap. I. Cō-  
cil. Con-  
stantien.

Si quis negauerit, a in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem vnà cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit.

CANON II.

b Conc.  
idem dā-  
nans arti-  
culos Io-  
an. V Vi-  
clef.

Si quis dixerit, b in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, vnà cū corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritq; mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, inuentib. dumtaxat speciebus panis, & vini: quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissime c Transsubstantiationem appellat: anathema sit.

c supra  
cap. 4.

## CANON III

*Si quis negauerit, a in venerabili Sacramēto Eucharistiæ, sub vnaquaq; specie, & sub singulis cuiusq; speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit.*

## CANON. IV.

*Si quis dixerit, peracta Cōsecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramēto non esse corpus, & sanguinē Domini nostri Iesu Christi, sed tātum in vsu, dum sumitur, nō autem ante, vel post, b & in hostijs seu particulis consecratis, que post Communionem reseruātur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini: anathema sit.*

## CANON. V.

*Si quis dixerit, c vel præcipuum fructuum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire: anathema sit.*

## CANON VI.

*Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramēto Christum unigenitum Dei filium nō esse d cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiua peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publicè, vt adoretur, populo præponendum, & eius adoratores esse idololatrias: anathema sit.*

a Conc. Florent. in decre. Eugenij ad Armenos. supr. cap. 3. & infr. Sess. 21. cap. 1. de com. b. sup. c. 3.

c Vide Conc. Florent. ibid. sup. cap. 2.

d sup c. 3.

## CANON. VII.

a sup. c. 2. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam a in sacrario reſeruari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſario diſtribuendam, aut non licere, vt illa ad inſirmos honorificè deferatur: anathema ſit.

## CANON. VIII.

b sup. c. 8. Si quis dixerit, Chriſtum in Euchariftia exhibitum, ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam ſacramentaliter ac realiter: anathema ſit.

## CANON. IX.

c Can. omnis vtriuſq; de pœ & remiſſ. Si quis negauerit, c omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſq; ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, d iuxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ: anathema ſit.

## CANON X.

d Concil. Later. ſub Innoc. 3. cap 21. & infr. ſeſſ. 14. c. 8. de pœnit. Si quis dixerit, e non licere ſacerdoti celebranti ſeipſum communicare: anathema ſit.

## CANON XI.

Later. ſub Innoc. 3. c. 2. Vide poſt finem huius libri. e sup. c. 8. f sup. c. 17. Si quis dixerit, f ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimum Euchariftiæ Sacramentum: anathema ſit. Et, ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem, & condemnationem, ſumatur; ſtatuit, atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis grauat,

a quan-

a quantumcunq; etiã se contritos existiment' a sup.c.7.  
habita copia Confessoris, necessariò præmitten-  
dam esse Confessionem sacramentalem. Si quis  
autem contrarium docere, prædicare, vel per-  
tinaciter asserere, seu etiam publicè disputan-  
do defendere præsumpserit, eo ipso excommu-  
nicatus existat.

## Decretum de reformatione.

## CAPVT I.

**E** Adem sacrosancta Tridentina Synodus,  
præsentibus in ea eiusdē sanctæ Sedis A-  
postolicæ Legato, & Nuncijs, intendens non-  
nulla statuere, que ad iurisdictionem pertinet  
Episcoporum, vt, iuxta proximæ Sessionis de-  
cretum, illi in commissis sibi Ecclesijs eò libē-  
tius resideant, quo facilius, & commodius sibi  
subiectos regere, & in vitæ ac morum hone-  
state continere potuerint; illud primùm eos  
admonendos censet; b vt se pastores, non per-  
cussores esse meminerint, atq; ita præesse sibi  
subditis oportere, vt nō in eis dominantur, sed  
illos, tanquam filios, & fratres diligant: elabo-  
rentque, vt hortando, & monendo ab illicitis  
deterreant; ne, vbi deliquerint, debitis eos pæ-  
nis coercere cogantur. quos tamen, si quid per  
humanam fragilitatem peccare cōtigerit, c il-  
la Apostoli est ab eis seruanda præceptio, vt il-  
los arguāt, obsecrent, increpēt in omni bonita-  
te, & patientia: cū sepe plus erga corrigendos

b Tit. 1.  
1. Tim. 3.  
1. Pet. 5.  
dist. 45.  
in princ.  
dist. 64.  
cap. vlt.  
dist. 91. c.  
esto sub-  
iectus.  
c 2. Tim.  
4.

agat beneuolentia, quā austeritas, plus exhortatio, quā comminatio, plus caritas, quā potestas. Sin autē ob delicti grauitatem uirga opus fuerit: tūc cum māsuetudine rigor, cum misericordia iudiciū, cum lenitate seueritas adhibenda est: ut ne asperitate disciplina, populis salutaris, ac necessaria conseruetur: & qui correcti fuerint, emendentur: aut, si respiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animaduersionis exēplo à uitijs deterreantur: cum sic diligentis & pij simul pastoris officium, morbis ouium leuia primum adhibere fomenta post, ubi morbi grauitas ita postulet, & ad acriora, & grauiora remedia descendere; sin autem, ne ea quidem proficiāt illis submouēdis, ceteras saltem oues à contagionū periculo liberare. d Cū igitur rei criminum plerumque ad euitandas pœnas, & Episcoporum subterfugiēda iudicia, querelas, & grauamina simulent: & appellationis diffugio iudicis processum impediāt, ne remedio ad innocētie præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ut huiusmodi eorū calliditati, & tergiversationi occurratur: ita statuit & decreuit. e In causis uisitationis & correctionis siue habilitatis & inhabilitatis, nec nō criminalibus ab Episcopo seu illius in spiritalib<sup>9</sup> Vicario generali, ante definitam sententiam, ab interlocutoria, uel alio quocunq; grauamine, non appelletur: nec Episcopus, seu Vicarius appellatiōi huiusmodi,

c c. refecāda, & c. corripiātur 24. q. 3.

d c. cum speciali. 9. porro de elect.

e Inf. Sef. 22. c. 1. de 24. c. 20. de refor.

tam-



DECIMA TERTIA. III

tanquam frivole, deferre teneatur: sed, ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanata, nec non omni stylo, & consuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere: a nisi gravamē a c. vt de- huiusmodi per definitivam sententiam repa- bitus de rari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit: appel. cū quibus in casibus sacrorum & antiquorum ca- sim. nonum statuta illibata persistant.

CAPVT II.

**A** Sententia Episcopi, vel ipsius in spiritualibus Vicarij generalis, in criminalib. appellationis causa, vbi appellationi locus fuerit, si Apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, Metroprolitano seu illius etiam Vicario in spiritualibus generali: aut, si ille aliqua de causa suspectus foret, vel ultra duas legales dietas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, vni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum vicarijs, non autem inferioribus iudicibus, committatur.

CAPVT III.

**R**eus, ab Episcopo, aut eius Vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans, coram iudice, ad quem appellauit, acta prime instantie omnino producat: & iudex nisi illis visis, ad eius absolutionē minimē procedat. Is aut, à quo appellatū fuerit, intra 30. dies

dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alio-  
qui absque illis causa appellationis huiusmodi  
prout iustitia suaferit, terminetur.

## CAPVT IV.

a Carth.  
16.

Vide 3. q.

8. suggero

& 15. q. 7.

Felix E-

piscopus

c. 2. Hispa-

len c. 6.

d c. si quis

cum seq.

14. q. 7.

b degra-

datio de

pœn. in

6.

**C**um verò tam graua nonnullam sint de-  
lictà, a ab ecclesiasticis cõmissa personis,  
vt ob eorum atrocitatem è sacris Ordinib. de-  
ponendæ, & curiæ sint tradendæ seculari: in  
quo secundum sacros canones certus Episcopo-  
rum numerus requiritur: b quos si omnes adhi-  
bere difficile esset, debita iuris executio differ-  
retur: si quãdo autem interuenire possent, eo-  
rum residentia intermitteretur: propterea sta-  
tuit, & decreuit: Episcopo per se, seu illius vi-  
carium in spiritualibus generalem, contra Cle-  
ricum in sacris etiã presbyteratus Ordinibus  
constitutum, etiam ad illius cõdemnationem,  
nec non verbalem depositionem, & per seipsū  
etiam ad actuale, atque solemnem degra-  
dationē in ipsis Ordinibus, & gradibus ecclesia-  
sticis, in casibus, in quib: aliorum Episcoporum  
presentia, in numero à canonibus definito, re-  
quiriur, etiam absq; illis procedere liceat: ad-  
hibitis tamen & in hoc sibi assistentib. totidē  
Abbatibus, vsum mitræ & baculi ex priuile-  
gio Apostolico habētib. si in ciuitate aut die-  
cesi reperiri, & commodè interesse possint; a-  
liquin alijs personis in ecclesiastica dignitate  
constitutis, quæ etate graues, ac iuris scientia  
commendabiles existant.

CA

CAPVT V.

**E**T quoniã per fictas causas, quæ tamen satis probabiles videntur, interdũ accidit; vt nõnulli eiusmodi gratias extorqueãt; per quas pœne, illis Episcoporum iusta seueritate inflictæ, aut remittuntur omninò, aut minuentur; cum non ferendum sit, vt mendacium, quod tantoperè Deo displicet, non modò ipsum a impunitum sit, verũ etiã alterius delicti veniam impetres mētienti: idcirco, vt sequitur, statuit, & decreuit: Episcopus apud Ecclesiam suam residens, de surreptione, & obreptione gratiæ, quæ super absolutione alicuius publici criminis, vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quã criminofus per eum condēnatus fuerit, falsis precibus impetratur per seipsum, tãquam Sedis Apostolicæ delegatus, b etiã summarie cognoscat; ipsamq; gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam esse, legitime constiterit, non admittat.

CAPVT VI.

**Q**uoniam verò subditi Episcopo, c tametsi c c. sunt  
 iure correpti fuerint, magnoperè tamẽ eũ nonnul.  
 odisse, & tanquam iniuria affecti sint, fal- la 2. q. 7.  
 sa illi crimina obiscere solent; vt, quoquo pacto possint, ei molestiam exhibeãt; cuius vexationis timor plerumque illum ad inquirenda, & punienda eorum delicta segniorẽ reddit: idcirco, ne is magno suo, & ecclesiæ incommodo

gre-

a Exo. 23.  
 Leuit. 19.  
 Prou. 6. 8.  
 10. 12. 19.  
 c. si quis  
 dixerit.  
 cum seq.  
 & c. ne-  
 mo peri-  
 torum. 11.  
 q. 3.  
 b c. super  
 litteris.  
 & cum  
 dilecta.  
 de rescr.

d Vide  
Ses. 17. c. 3.

gregem sibi creditum relinquere, ac nō sine Episcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita statuit, & decreuit: A Episcopus nisi ob causam, ex qua deponendus, siue priuādius ueniret, etiam si ex officio, aut per inquisitionē, seu denunciationem, vel accusationem, siue alio quouis modo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur.

## CAPVT VII.

a c. accusatio quo que c. accusatio Epif. 6. testes 2. q. 7. & cap. vi. 2. q. 5. Cōcil. Rom. sub Sylu. I. iuxta Anacleti Pap. epist. 2. & Cart. 2. c. 6. & Carthag. 4. c. 96. & Sixt. 3. ep. 3. c. 2.

**T**estes in causa criminali ad informationem, vel iudicia, seu alias in causa principali contra Episcopum, nisi testes, & bonae cōuersationis, existimationis, & fame fuerint, non recipiātur: & si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint, grauibus pennis multentur.

## CAPVT VIII.

**C**ausae Episcoporum, cū pro criminis obiecti qualitate comparere debeant, coram Pontif. Max. referantur, ac per ipsum terminentur.

Decretum prorogationis definitionis quatuor articulorum de Sacramento Eucharistiæ, & salui conductus, Pretestantibus dandi.

**E**adem sancta Synodus errores omnes; qui super hoc sanctissimo Sacramento repullularunt, tanquam vepres ex agro Dominico euellere, ac omnium fidelium saluti prospicere

re cupiens, quotidianis precib. Deo omnipotē-  
 ti piē oblati, inter alios, ad hoc Sacramentum  
 pertinentes, articulos diligentissima veritatis  
 Catholicę inquisitione tractatos, plurimis, ac-  
 curatissimisq; pro rerū gravitate dispositioni-  
 bus habitis, cognitis quoque præstantissimorū  
 Theologorum sententijs, hos etiā tractabat. An  
 necessarium sic ad salutē, & diuino iure præ-  
 ceptum, vt singuli Christi fideles sub vtraque  
 specie ipsū venerabile Sacramentū accipiāt.  
 Et: Nū min⁹ sumat; qui sub altera, quā qui sub  
 vtraque communicat. Et: An errauerit sancta  
 mater ecclesia, laicos, & nō celebrantes sacer-  
 dotes, sub panis specie dūtaxat communicādo.  
 Et: An paruuli etiam communicandi sint. Sed  
 quoniā ex nobilissima Germaniæ prouincia ij  
 qui se protestantes nominant, super his ipsis ar-  
 ticulis, antequam definiantur, audiri a sancta  
 Synodo cupiant, & eam ob causam fidē publi-  
 cā ab illa postularunt, vt ipsis tutò huc venire,  
 & in hac vrbe cōmorari, ac liberè corā Synodo  
 dicere, atq; proponere q̄ senserint, & post ea, cū  
 libuerit, recedere liceat: sancta ipsa Synodus,  
 licet magno desiderio eorū aduentum multos  
 antea mēses expectarit, tamen, vt pia mater,  
 que ingemiscit, & parturit, sūmoperè id de-  
 siderās, ac laborās, vt in ijs, qui Christiano no-  
 mine cēsantur, nulla sint schismata, sed quēad-  
 modum eundem omnes Deum, & Redempto-  
 rem agnoscunt, ita idem dicāt. idem credunt.

idem

idem sapiant, confidens Dei misericordia, & sperans fore, ut illi in sanctissimam & salutarem unius fidei, spei, caritatisque concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securitatem, & fidem, ut petierunt, publicam, quam saluum conductum vocat, quo ad se pertinet, eius, qui infra scriptus erit, tenoris, dedit, atque concessit: & eorum causa definitionem illorum articulorum ad secundam Sessionem distulit; quam, ut illi commodè interesse possent, in diem festum conversionis D. Pauli, quæ erit vigesima quinta die mensis Ianuarij, anni sequentis, indixit. Illudque præterea statuit, ut in eadem Sessione de sacrificio Missæ agatur, propter magnam utriusque rei connexionem; in altera Sessione proxima de Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis Sacramento tractandum. Illam autem diem festum D. Catharinæ virginis & martyris, qui erit vigesima quinta Novembris, habendam esse decrevit, simulque ut in utraque materiam reformationis prosequar.

### SALVVS CONDVCTVS datus Protestantibus.

**S**acrosancta generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, presidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nuncijs, omnibus, & singulis, siue ecclesiasticis siue secularibus personis uniuersæ Germaniæ, cuiuscunque gradus  
status

status, cōditionis, qualitatis sint, quæ ad œcu-  
 menicum hæc, & generale Concilium accedere  
 voluerint, vt de ijs rebus, quæ in ipsa Synodo  
 tractari debent, omni liberalitate cōferre, pro-  
 ponere, & tractare, ac ad ipsum, œcumenicum  
 Concilium liberè, & tutò venire. & in eo ma-  
 nere, & commorari, ac articulos, quot illis vi-  
 debitur, tam scripto, quam verbo, offerre, pro-  
 ponere, & cum Patribus, siue ijs qui ab ipsa  
 sancta Synodo delecti fuerint, conferre, & abs-  
 que vllis conuicijs, & contumelijs disputare,  
 nec non quando illis placuerit, recedere possint,  
 & valeant, publicam fidem, & plenam securi-  
 tatem quam saluum conductum appellant, cum  
 omnibus, & singulis clausulis, & decretis ne-  
 cessarijs, & opportunis, etiamsi specialiter, &  
 non per verba generalia exprimi deberēt, quæ  
 pro expressis haberi voluit, quātum ad ipsam  
 sanctam Synodum spectat, cōcedit. Placuit præ-  
 terea sanctæ Synodo, vt, si pro maiore libertate  
 ac securitate eorum, certos tam pro cōmissis,  
 quam pro committendis per eos delictis, iudi-  
 ces eis deputari cupiāt, illos sibi beneuolos no-  
 minent, etiam si delicta ipsa quantumcum-  
 que enormia, ac heresin sapien-  
 tia fuerint.